



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta  
præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs  
Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

**Meglinger, Joseph**

**[S.l.], Anno MDCLXXXII.**

23. Junij. 9. Cal. Julij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45295**

S. BERNARDUS, ser. 83. in Cant.

Solus est amor ex omnibus anima <sup>Amor</sup>  
 motibus, sensibus, atq; affectibus, in <sup>DEL.</sup>  
 quo potest creatura, etsi non ex equo  
 respondere auctori, vel de simili mu-  
 tuam rependere vicem.



23. Junij. 9. Cal. Julij.

**B** MARIA de Aegnes; admirandæ <sup>Obijs.</sup>  
 sanctitatis virgo: quæ sub habitu <sup>anno</sup>  
 & Instituto Cisterciensi solitariam vi- <sup>1213.</sup>  
 tam professa, totam Leodiensem pro-  
 vinciam virtutum tuarum famâ reple-  
 visti. Felices se existimabant viri un-  
 dequaque clarissimi, si familiari allo-  
 quio tuo, per angustæ fenestræ cancel-  
 los frui concederetur: quos nunquam  
 sinè multo spirituali profectu à te di-  
 mittebas. Hi cum eandem ob causam <sup>Orans</sup>  
 frequenter accederent, non rarò te o- <sup>eleva-</sup>  
 rationi intentam, & unà cum MARIA <sup>tur à</sup>  
 Deipara in aère sublimem offendere. <sup>terra.</sup>  
 Sentiebant interea te matrem paupe-  
 res, quos consilio, & auro hinc inde e-  
 mendicato sublevabas. Medicam ma-  
 num laudabant morbis desperatissimis  
 cruciati, quos tamen non antè donare  
 sospitate.

476 ANNI CISTERCIENS.

*Demo-  
nes fu-  
gat.*

*S. Ber-  
nardus  
appa-  
ret a-  
latus.*

*Præpa-  
ratio  
ad mor-  
tem*

*Obiit  
anno  
1112.*

solpitate corporis solebas, quàm illis animæ curam persuasisses. Mulierem fortem metuebat stygius hostis, quem designatis à Servatore armis, jejunio nimirum & oratione, profligabas prohibitu. Inter innumera visa cœlestia, aspiciebas aliquando sanctissimum Patrem BERNARDUM in eminenti quadam gloria, alis ornatum, ea specie, quâ à pictoribus Angeli repræsentantur. Cujus rei causam sciscitanti respondit: pennas illas indicare sublimem spiritum, quo inter mortales olim degens, in altissima Scripturæ arcana, & per raptus nulli homini notos, ad Scraphinos usque pervolaverit. Felici tandem ex hac vita migrationi te quadraginta dierum ab omni humano cibo abstinentiâ præparâsti. *Doceme imitari sollicitudinem tuam, qua, te ad felicem mortis horam parâsti. Veniet, & fortè cùm minimè putavero, veniet momentum, in quo sanguineis lacrymis, si daretur, unicam horam, huic negotio impendendam, emerem, quarum nunc multa millia otiosè transire permitto.*

B. FELIX: qui cum sancto Roberto ad Cistercium migrans, unum ex illis primis luminaribus eras, quæ sylvæ ignobilis tenebras converterunt in lucem magnam. Cùmque tibi morituro sanctus

sanctus Abbas Stephanus assisteret, de tua etiam post mortem obedientia indubius, mandavit; ut mox, ubi inter cœlites fueris admissus, certum sibi referas nuncium, quidnam de S. Ordine Obedi- DE I providentia statuerit. Quod sine entia mora præstitisti, visus illi multo splendore cinctus, promittensque brevi futurum ingens Ordinis incrementum. Atque ut te adhuc filium obedientiæ exhiberes, non nisi accepta, ut vivus consueveras, Benedictione, ad beatas sedes te recepisti. Felix eras nomine, sed obedientiâ felicior, utpote quæ te ad felicitatem æternam deduxit. Infelicia proinde sunt propriae voluntatis mancipia, quæ sequaces suos hic animi libertate despoliat, quâ nihil dulcius; & ibi flammis cruciat, queis nihil horribilius. Clara optio, utra sit pro duce eligenda.

S. BERNARDUS, Tr. de cõtem. m̃.

Pone propriam voluntatem, & jugum, tam importabile, quàm multiplex abjecisti. Non est dominus crudelis ad illam: non est tyrannus tam impius & inhumanus, sic urgens servum, & non parcens. Fatigatum magis instigat, subditum premit durius inquietum malum. 24. Jun.

Voluntas propria, tyrannus crudelissimus.